

A
8



caja 2 A=9 C=5

caja
CINISA 5

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA	
— GRANADA —	
Se's	caja 2
Estancie	
Número	8

Handwritten text at the top of the page, possibly a title or header, which is mostly illegible due to fading.

COPIES
of

COPIES
of

[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely from the 18th or 19th century. The text is mostly obscured by fading and bleed-through from the reverse side of the page.]



ASSERTIONES THEOLOGICAE.

REGULA Sancti Bernardi, & omnium fere Patrum, & Doctorum, qua dicitur id tribuendum esse Mariae, quod sanctis alijs concessum esse noscitur, intelligenda est de gratijs, & privilegijs omnibus, & singulis, quae aut indecentiam non habent respectu foemineae conditionis, aut cum Scripturarum, & Ecclesiae decretis repugnantiam non habent. Quaedam sub hac regula sine assertione disputanda proponuntur. V. g. Sancta Petronila est filia Principis Apostolorum, de quo probabilissime dicunt plures cum Bellarmino omnes alios iustos in sanctitate interna superasse: ergo ne Mariae desit privilegium simile, dicendum est probabiliter defendi, caeteris iustis etiam apostolis Ioachimum, & Annam in iustitia interiori praeponi. Praeterea Anna, & Ioachimus etiam si aetate singulos minus habuissent feruentes, quam Apostoli ex diuturnitate vitae, supra centum & decem annos, & ex pluralitate actuum in cumulo meritorum alios supergrediuntur. Item digniores Anna, & Ioachimus quam Stephanus, at de hoc dicunt Apostoli lib. 8. constit. Apostol. se elegerit septem Diaconos e quibus est martyr Stephanus, *qui non minus quam nos Deum dilexit*, Guillelmus Bibaucius in eodem gradu sanctitatis locat Annam Ioachimum, & Iosephum, tam in distichis, quam in sapphicis. Item disputabile est Mariam strictius fuisse debitricem, ut maiorem sanctitatem internam parentibus naturalibus diu cum ipsa, & Iesu coniuventibus impetraret, quam Iosepho; at de hoc probabile est caeteros iustos in gratia interiori fuisse supergressum. Tandem an familiaritas, & ministerium Ioachimi, & Annae cum aggregato omnium circumstantiarum maiorem proximitatem habuerint cum Iesu, res est in controuersia posita, ut addubitare sine assertione liceat, utrum pariter de Ioachimo, & Anna, ac de Iosepho opinari liceat. Si ut ait Grabrina tom. 3. praescriptionum a pag. 55. vsque ad 58. solum est temerarium asserere de S. Martino parem fuisse Apostolis, erit qui dubitet an propter maiorem dignitatem Annae, & Ioachimi absit nota temeritatis, si quid simile de ipsis affirmetur.

Prohibet secundo churidarij

2 Aliud pro eadem Bernardi regula exemplum examinare licet. De Moyse ait S. Ephem orat. de Transfiguratione Christi sanctificatum in utero. Idem scribunt de Iacob filio Isaac Ambros. lib. 4. cap. 4. Dionys. & Comestor in 28. Genes. Nunquid propterea quemadmodum filij Moyse, & Iacob parentes habuerunt sanctificatos in utero, idem licebit dicere de Maria, ut Ioachimus, & Anna, eandem gratiam ante natiuitatem habuerint: praesertim cum debilioribus ducti fundamentis hanc sanctificationem in utero Diuo Dominico tribuant nonnulli ex Ordine Praedicatorio sectantes Antoninum 3. par. summæ titulo 18. cap. 5. & idem iudicent de S. Iacobo minori nato annis decem ante ortum Christi, Egesippus, Eusebius Caesariensis, & Metaphrastes, quos refert, & sequitur Truxillo Dominicanus, serm. de ipso. Tandem de S. Iosepho sponte Virginis, communis sententia idem iudicium fert ex officio Ierosolymitano, iuxta Gersonem serm. de Natiuitate Virg. & Carthag. lib. 4. hom. 3.

Idem pro vniuersum minus huius pag. 108.

3 Aliud pro Bernardi regula exemplum sit, quod recito non sector: Ioannes Baptista est filius Elisabeth, & Zachariae, qui ex Ambrosio, & Augustino apud Vazquez 3. p. disp. 120. nullum commiserit peccatum veniale, ergo Maria parentes habuit, qui simili praerogatiua gauderent. Fortassis ideo Robertus Gaguinus Generalis sanctissimae Trinitatis, in carminibus Ioachimum ab omni actuali culpa liberat.

Idem pro vniuersum

4 Grauiorem notam mereretur, quisquis totius populi Christiani consensum, erga opinionem piam ex vulgari ignorantia proficisci iactaret, aut siculneum argumentum crederet, quod ex consensione fidelium sumitur cum illud inter firmissima Ecclesiae retinacula numeret Augustinus allegatus a Gresero, in defensionibus, lib. 1. de Verbo Dei cap. 10. Quotquot autem libri, aut tractatus, opinionem piam de immaculato conceptu quacumque ratione condemnant, prohibiti sunt a Sixto III. quoad hanc partem, & verè prohibiti sunt etiam si ante annum 1515. prodierint, & in expurgatorijs non nominentur.

Pro libro quarto & churidarij

5 Licuit interdum de bonis hominibus referre, quae omnium confessione emendationem desiderabant. Sic in temperantia Loth, pusillanimitas Aaronis, adulterium David, negationes Petri, persecutiones Pauli, usurae Matthaei, incredulitas Thomae, luxus Magdalenae, & Zachaei iniquitas memorantur. Haec quae sine peccato fieri non valebant, & errores doctrinae, qui sine delicto villo voluntatis grauissimis etiam Doctoribus contigerunt, tunc euulgantur licite, cum pro sincera, & incorrupta veritatis explanatione, & pro tuendo fidelium sensu, atque consensu desiderantur: vel cum pro declaranda humana fragilitate, & ignorantia, vel Dei erga homines misericordia, similes narrationes utiles videntur; vel cum necesse est expendere, ne quis in hac vita securus videatur, aut alienus ab errore mentis praedicetur, cum id solius canonici scriptoris proprium sit; *instruant Patriarchae*, ait Ambros. 1. de Abraham cap. 6. *non solum docentes, sed etiam errantes.* Nulla est labes sanctissimorum hominum nonnullis erroribus absque voluntatis crimine implicari: cum non eos malitia iuducat, ut fallant, sed humana conditio impellat ut fallantur. Propterea immerito reprehenderentur Sixtus Senensis lib. 5. & 6. Bibliothecae, Bernardus Lutzeburg in catalogo haereticorum, Paulus Grisaldus in decisionibus fidei, Hieronymus Vielmus in libris de laudibus Diui Thomae; Dominicus Grabrina tom. 3. praescriptionum par. 1. & alij innumeri eiusdem Praedicatorij instituti, quod non raro Patrum, & Scholasticorum errores numerent; cum id pro instruendis laicis maxima cum reuerentia praesentent, ut saepius ipsi animaduertunt. Id circo non est exprobrandus Catharinus lib. 2. de conceptione, qui ut purissimum Conceptum Virginis promoueat de Diuo Bernardo, & S. Thoma, & S. Bonavent. sub hypotesi negata, quod opinioni affirmatiuae contra immaculatum conceptum subscripsissent, haec ait: *Neque hoc magnopere mirandum, quia tunc homines erant, & ipsi verè sub originalis peccati tenebris adhuc detenti, ut possent errare;* & non longè post subdit. *Ad sanctos illud pertinet diminuta sunt veritates a filijs hominum, & quod Iacob Apostolus dixit in multis offendimus omnes. Docet Thomas non quatumque dixerunt, aut scripserunt*

Numero. 1. 2. 3. pro secundo libro churidarij tractatu. 7. et Numero 4. vsque ad numerum. 13. exclusiue in pag. 28. pro libro quarto churidarij propositiones praecipue in eo mala nota affectu

runt sancti Vera esse à Spiritu sancto profecta. Nec magnopere, inquit, mirandum si hoc Regina nostra privilegium Thomam latuit, aut Bernardum, aut Bonaventuram. Et non longius à precedentibus addidit. Maluit Divus Thomas hoc spiritu impulsus aliorum sensui cedere, quam proprium retinere, ut sic magis placuerit Deo non error ille, sed humilitas illa, verum et cumque res habeat, hic rem concludo, quod cum tot viderimus varietates, titubationes, ignorantias, perplexitates, contradictiones horum Doctorum in hac materia, & humana diuinaque iura testibus, vanis, & contrariè loquentibus, aut inuolutè, aut obscurè, nec de propria scientia testificantibus, haberi fidem prohibeant, idque præsertim aduersus rem piam illam, etiam nos iure optimo, & merito, & cum bona horum Doctorum pace, ac gratia, eorum dicta etsi sancti fuerint, tamen contra sanctissimam Virginis prærogatiuam hanc non recipimus. Nam cum duorum alterum necesse sit nobis fateri, aut peccatum Virginis si hoc non errasse concesserim, aut eorum errorem, si potius illam ab omni peccato immunem defendam magis eligam, ut illos errasse ingenue confessione profitear, qui & potuerunt errare, & in multis etiam errasse deprehensi sunt, quàm illam patriar gloriæ matris Dei indignam iniuri maculam. In iis, & alijs euentibus, quando maior Dei gloria, & sanctissimæ Virginis prærogatiua vrget, non sine insigni pietate similia proferuntur. Abulensis in cap. 25. Exodi. q. 23. & 1. Reg. 8. q. 127. & in cap. 8. Matth. à q. 76. vsque ad 82. & Franciscus Fontanus in Verbo Thomas Aquinas, & Domicus Thadaus in Nitela Franciscana, & Hugo Magnesium, & Matthæus Ferquetus, & Hugo Cabellus in Apologijs pro Scoto, & processus Academia Parisiensis contra Montesonum, qui habetur in fine Magistri sententiarum, & alij non pauci nonnullos errores Angelico Doctori tribuunt, & propositiones consignant in quibus, ut ipsi aiunt, errauerit. Verum tunc demum, quod hæc fecerint, vituperandi non erunt, quando ex urgente causa, ut Catharinus, & sine iniuria veritatis id præstiterint. Ego si in similem necessitatem impingerem, & pro gloria Virginis sanctissimæ opus esset errores nonnullos grauium Doctorum expendere, ut fecerunt plures, & grauisimi viri præcipuè, ex instituto Prædicatorum, si eos à prælo, aut amannensibus excusare non possem, qua possem humilitate, & reuerentia eundem horum authorum sensum pro gloria Virginis explanarem, nec impium existimarem dicere, quod Michaël Palacios cum pluribus in 3. dist. 3. disp. 1. scripsit ijs verbis: *Sententia sancti Thomæ prima secundæ, qua credit de fide esse omnes homines originaliter peccasse est correctæ à Sixto IIII.* dum tamen certò collatæ Angelicum Doctorem erroneam, aut hæreticam appellasse opinionem piam, quemadmodum illum interpretantur Turrecremata, Castronouo, Prouasius, Montenigro, Bareleta, Spina, & innumeri eiusdem instituti: & sub hac hypothesi efficax argumentum elicerem, ut in singulis huius controuersia adhæretibus eiusdem tanti Doctoris autoritatem debilitatam crederem; verum satius arbitror existimare in puris, & legitimis scriptis D. Thomæ, illis præcipuè, quæ morti ipsius viciniore fuere, nihil contra immaculatum conceptum Virginis contineri, quod non sit, aut per condescendentiam scriptum, aut ex aliena mente relatum, aut sub dubio, & hypothesi propositum, aut ab amannensibus aslutum, aut tandem non in postremis monumentis reuocatum, & retractatum; quod planum, & indubitatum credet quicumque attento examine rem seruatus fuerit. Catharinum, alium tamen scopum considerantes, imitantur Canus lib. 7. cap. 3. & lib. 8. cap. 4. & 5. & lib. 9. cap. 7. & lib. 10. cap. 5. Hieronymus Vielmus in apologia contra obretractores Diui Thomæ, Bannez i. p. q. 1. art. 8. Turrecremata dist. 9. & 15. & plures alij eiusdem instituti: quos fouet Angelicus Magister quod lib. 12. art. 1. in illis verbis allegatis à Michaële Palacios in 3. dist. 3. disp. 1. *Sanctos Doctores pleraque multa dixisse de suo, ideo non semper in cunctis illis adhibenda est fides.* Hæc clausula etiam pro D. Thomæ intelligenda, ut multa de suo dixerit, imò ex proprio cognouit experimento, quid sanctis alijs Doctoribus accidisset. Ad ipsum in simili casu pertineret, quod scripsit 22. quæst. 1. art. 2. ijs verbis: *Aliqui Doctores videntur dissentire, vel circa ea quorum nihil interest ad fidem, vtrum sic, vel aliter teneatur, vel etiam in quibusdam ad fidem pertinentibus, quæ nondum erant per Ecclesiam determinata.* Propterea etiam in casibus non æquè urgentibus, atque est hic de Conceptione Virginis, fas esse discedere à simili autoritate scripsere ex ordine Prædicatorio Hocoth relatus à Pio in propugnatione primæ conclusionis, Durandus in præfatione sententiarum, Canus relectione de pœnitentia par. 4. & toto lib. 7. de autoritate sanctorum, Turrecremata dist. 9. & dist. 15. Sotus in logica cap. de quantitate, Grifaldus in decisionibus fidei, & alij innumeri eiusdem instituti Prædicatorij, quos reliquæ scholæ sectantur, & quorum longiores produxit cætenas, & catalogos Magister Zabasta Ippor.

6
De ci-
ta
tombus
falsis con-
ceptum
conceptionem

A tempore Apostolorum vsque ad Bernardum nemo vnquam assertiuè dixit, aut scripsit nominatim Mariam in peccato originario conceptam. De hac veritate ut notissima, et sine controuersia, nullus ex professo traiebat. Quæ testimonia ante ætatem Bernardi in contrarium allegantur, à Turrecremata, Bandello, Prouasio, Montenigro, Montelupprorum, Spina, Caietano, Grifaldo, et Petro de Vincentia, solùm continent vniuersales propositiones, quæ si non excipiant Deiparam, fiet propter alias similes clausulas plures numero, & verbis clariore, & expressiore, & æquè vniuersales circa peccata actualia, & communem omnium natiuitatem in peccato, dicendum esse Mariam natam in peccato, & actualia culpas commississe: ut patet ex cætenis datis à Magistro Zabasta Ippor.

7 Ex epistola Bernardi ad Lugduenses probatur manifestè, nihil illum assertiuè dixisse contra immaculatum conceptum Virginis, sed sub dubio loquentum, ut patet ex ipsius verbis, quæ refert, & expendit robustissime Catharinus lib. 2. de Conceptione. Quæ autem dubiè, aut problematice, aut ex hypothesi dicuntur à Patribus ex omnium consensu, non sunt inter eorum sententijs numeranda.

8 Paulo post tempora Bernardi Petrus Lombardus, & Parisienses Doctores vsque ad Durandum ætatem frequentius in sola Academia Parisiensi sustinebant Mariam cum originaria labe conceptam, & hanc opinionem credebant esse magis conformem dictis scripturarum, & Patrum vniuersaliter declarantium, omnes præter Christum peccasse; neminem præter Iesum à peccato fuisse immunè; solùm Iesum in Adamo non deliquisse. Omnes

Omnes homines peccato Adam fuisse conclusos. Quae propositiones saepe dicuntur cum manifestissimis exclusiuis suis solum Redemptoris. Vt populari horum locorum intelligentia, & Academia Parisiensi satisfacerent Alensis, & Albertus, & S. Thomas, & S. Bonauent. & alij in lecturis pro ea ipsa Vniuersitate, communem illius scholae sensum tuebantur: atque ij omnes extra lecturas Academicas in alijs quidem scriptis oppositam doctrinam, id est magis piam constantissimè, & saepius defendebant, vt patet ex ceteris autoritatibus, quas compilauit Magister Zabasta Ippot.

9 Academia Parisiensis re examinata vidit omnia illa Patrum, & scripturarum testimonia, quae solum Iesum eximunt à peccato originali, infirmissima esse contra immaculatum conceptum Virginis: nam multò plura sunt textus sacri, & sanctorum testimonia, quae vniuersaliter aiunt, etiam cum similibus exclusiuis generalibus solum Iesum non habuisse peccata actualia, & solum Iesum fuisse sanctum in natiuitate, ex quibus fieret Mariam liberè interdum peccasse, & in ortu suo habuisse originariam immunditiam, quae duo sine laesione fidei Catholicae dici non possunt. Propterea iussit Academia praedicta, ne opinionem affirmatiuam de peccato originario in sanctissima Virgine quisquam in posterum tueretur: hoc decretum ijs proximis saeculis sanctè seruatum est, & manifestè declarat, vnicam solum Academiam totius orbis Christiani, quae duobus ferè saeculis opinionem illam maculantem primam Virginis Conceptionem fouerat, resipuisse, & tum propriam opinionem, tum eorum omnium Doctorum qui pro ipsius reuerentia ea scripserant retractasse. Legantur magni illi catalogi autoritatum à Ioanne Turrecremata, & Vincentio Bandello, & alijs adducti, & manifestè ex ipsorum scriptis, & allegationibus innotescet, neminem verè, & legitimè allegari contra immaculatum conceptum, qui non sit ex Parisiensibus, aut ex ijs autoribus qui iurarunt in verba alicuius magni Doctoris, qui in gratiam Academiae eam opinionem ad tempus sustinebat. Cum verò facta collatione saeculorum, & omnium Ecclesiarum Dei, pro nihilo reputetur iudicium quorundam Parisiensium ad certum tempus per conuentionem, condescendentiam, & reuerentiam erga nonnullos eiusdem scholae primates, idèò dicendum est opinionem illam Parisiensis scholae ex non examinata vi scripturarum, & Patrum emanantem, non obstatè quò minus totius Ecclesiae Dei sensus esse, & fuisse dicatur, à tempore Apostolorum Mariam sine peccato conceptam. Nonnullae sunt traditiones in Ecclesia Dei, quae sine controuersia vlla recipiuntur, quarum non est omnino expressa, & specifica mentio in scriptis Patrum. Saepè hereditates, quae pacifica possessione diu sunt conseruatae atque retentae, nullis munimur authenticis testimonijs cinnilibus. Silentium, & inueterata possessio omnium instrumentorum loco est: id est quod ferè accidit pro immaculata conceptione Mariae de qua aut nihil, aut obiter priora saecula tractauerunt, vt pote de re indubitata, nec vocata in litem.

10 Cum magno nisu, & animi contentione plura testimonia aggregauerint Turrecremata, Prouasius, Montenigro, Monteluporum, Bandellus, & alij fautores maculae originariae in Maria, nihil omnino attulerunt, ad eam stabilendam praeter magnos catalogos vniuersalium propositionum, quae pro hac causa nihil praestant: quae autem clariora, & expressiora testimonia videbantur contra immaculatum conceptum nominando Mariam, selegit Caietanus opusculo de Conceptione; quod si illa, aut non allegantur legitime aut verè, constabit ea quae vt firmiter propugnacula oppositae opinionis adducuntur, infirmissima esse. Nam & saepè ibidem reperit Caietanus pro opinione maculante conceptionem nullum esse firmum argumentum, neque ab scriptura, neque à Concilijs, neque à determinatione Ecclesiae, sed solum ab autoritate Patrum, quos in eo opusculo allegat.

Refert pro sua opinione verba quaedam Augustini in Psalm. 34. Respond. Quod si conferas eius allegationem cum editione operum Lugdunensi anno 1561. & Veneta 1570. constabit non ea verba in Augustino reperiri.

Refert ex 10. de Genes. ad liter. cap. 18. alia verba contra immaculatum conceptum. Respond. primo. non esse illud testimonium in August. vt patet ex editione Antuerpiensi anno 1576. Secundo, vt ipse ait, Augustinus in ijs libris non loquitur assertiuè: quod saepè expendit S. Thomas.

Refert alia ex libro 2. de baptismo paruulorum cap. 24. Respond. non inueniri eam clausulam in August. vt patet ex codicibus Louaniensibus, Antuerpiensibus, & Parisiensibus.

Refert Verba Ambrosij in Psalm. 118. contra immaculatum conceptum Virginis. Respondetur non inueniri ea verba in Ambrosio, quoadmodum allegatur, vt patet ex editione Rom. anno 1585. ¶ Refert verba quaedam Chrysostomi in Matthaeum. Resp. ea in toto illo opere Chrysost. non reperiri.

Refert verba Eusebij Emysseni serm. 2. de Natiuit. Domini. Respond. primo, Eusebium Emyssenum fuisse Arrianum. Secundo, eum sermonem, qui Eusebio, aut Eucherio adscribitur iuxta editionem Coloniensem Bibliothecae Patrum anno 1618. longè aliter habere verba allegata à Caiet.

Refert verba Remigij in Psalm. Deus Deus meus. Respond. nullibi in vilo Remigio verba allegata à Caietano contra Conceptionem inueniri.

Refert S. Maximum Taurinensem serm. de Assumptione. Respond. nullibi esse mentionem, aut exemplar sermonis praedicti in Ecclesia Dei; imò & supposititium esse constat; quia tempore S. Maximi non celebrabatur festum Assumptionis.

Refert verba quaedam Bedae super Missus est, & in hom. 8. Epiphaniae. Respond. ea vt allegantur à Caietano esse vitiosa, vt constat ex omnibus editionibus.

Refert verba Anselmi lib. 2. cur Deus homo cap. 17. quae expressè sunt contra immaculatum conceptum. Respond. alieno Bossi nomine, interrogatiuè, aut dubitatiuè verba illa produci, & quamquam Vazquez dicat postea connuere Anselmum, & quasi ex proprio iudicio assentiri discipulo, re profundius examinata constabit non assentiri. Atque id patet ex alijs monumentis Anselmi in quibus certum est ipsam esse pro immaculato conceptu.

28
Refert Gerardum serm. de Natiuit. Virgin. Respond. Sermonem esse fictitium, neque in Ecclesie monu-
mentis reperitimo de isto Getardo quis sit, non constat.

De S. Bernardo dictum est supra.

Refert S. Thomam, & St. Bonauent. contra immaculatum conceptum. Respondetur fuisse hos duos san-
ctissimos viros Doctores Parisienses, & propterea alieno nomine, & per condescendentiam ad tempus pro
lecturis Academiae opinioni affirmatiue succurrisse: at quando ex proprio iudicio, & in alijs scriptis extra
Academicas lectiones hanc controuersiam tractabant firmiter, & constanter in fauorem opinionis pie scrip-
serunt, vt manifestum est ex catenis authoritatum de hac thesi quas producit Zabasta Ippot. Atque hac respo-
sio valet non solum pro Alberto Magno Doctore Parisiensi, verum, & pro S. Antonino, S. Vincentio Ferrar-
iensi, & alijs qui affectu fuerunt, & discipuli Parisiensium. Item hoc responsum valet pro Alensi, Ricardo
de sancto Laurentio, & alijs Doctoribus Parisiensibus, quos fautores nonnulli maculae originariae per lon-
gos syllabos referunt.

Refert S. Antonium de Padua serm. de Natiuit. Virginis. Respondetur nullibi eum sermonem reperi-
ri, neque haberi inter opera S. Antonij. Nullum aliud testimonium producit Caiet.

Addimus quod etiam si nonnulla ex ijs testimonijs verè, & legitime producerentur, in hac causa exiguum
haberent robur; quia plura sunt, & grauiorum, & antiquorum Patrum testimonia, quae obiter dicunt Mariam
aetualia peccata commisisse; quae compilantur a Sixto Senensi, Bartholomaeo Medina, Aegidio a Praesenta-
tione, & alijs, ergo quando tot essent expressa testimonia Patrum obiter loquentia contra immaculatum con-
ceptum, non obitaret quò minus diceretur Catholicam Ecclesiam sentire in fauorem purissimae Conceptionis
Mariæ, quemadmodum pro immunitate a culpis aetualibus, ait Concilium Trident. Catholicam Eccle-
siam ita sensisse.

11 Nec dicas ergo sectatores opinionis maculantis conceptionem Virginis merentur grauem notam erro-
ris, aut temeritatis, aut scandali, aut grauioris alterius censuræ. Nam responderetur negando sequelam. Pri-
mo, quia non est exploratum ante iudicium Apostolicæ sedis, an Ecclesia Catholica teneat opinionem ma-
gis piam solum vt probabiliorem, vel vt magis certam. Secundo, quia quamuis ita sit, vt Ecclesia Dei sic
sentiat, necesse est e cathedra Apostolica decerni, veram esse relationem facti de communi consensu. Tertio,
quonia Caietanus, Canus, Grabrina, & alij contra comunem antiquorum opinionem scripsere hanc qua-
estionem esse de numero earum, quae nullatenus possunt ad fidem pertinere, necesse est, vt antequam censuram
mereatur, hæc etiam pars a Pontifice declaretur.

12 Nec dicas si prædicta opinio temeraria non sit, in quantum grauat Mariam originaria labe, at suppositis lite-
ris Apostolicis, quae præfatam sententiam nominari asserunt prohibent in libris, disputationibus, contioni-
bus, aut familiaribus colloquijs, ne seditiones excitentur, aut scandala oriantur, aut offendantur aures pie-
sequitur esse declaratam a sede Apostolica inter seditiones, scandalosas, & piarum aurium offensiuas respectu,
totius Ecclesie Dei. Quod autem scandalosum, & piarum aurium offensiuum, & seditionis est respectu om-
nium, & singulorum fidelium, id firmiter est sensus Ecclesie, ergo in eodem gradu sunt immaculatae concep-
tionis pietas, & immunitas a peccatis aetualibus Deiparæ. Hæc inquam nequaquam dixeris, nam responden-
dum est in hac re submittenda esse nostra iudicia in obsequium Apostolicæ sedis, & constanter dicendum præ-
dictam opinionem nulla graui nota infamanda etiam si robustissima appareant argumenta donec sancta sedes
decernat, quid tandem faciendum sit, aut dicendum: non enim sufficit quod opinio maculans Virgineam con-
ceptionem seditiones, scandala, & piarum aurium offensionem inuehat, vt illi detur nota vlla, si Apostolica
sedes iubeat ne ijs notis traducatur, aut infametur.


13 Quod attinet ad inflictionem poenæ non maius supplicium habet homo infans a natiuitate, qui post cen-
tum annos vitæ decedit cum solo peccato originali, quam haberet paruulus abortiuus, qui vna hora post ani-
mationem moreretur. Ideo ex hac parte non nimium fauent sanctissimæ Virgini, ij qui dicunt Mariam in
peccato conceptam, at citissime ab eo fuisse mundatam.

14 Cum passiones, & affectus materiales rationem præuenientes quatenus in voluntarij a peccato originali
dimanent, & id certissimum arbitrentur plerique cum Suario 3. de opere sex dierum cap. 12. ex verbis Con-
cilij Trid. sess. 5. can. 5. probabilius existimant plerique cum Toletio in 1. Luc. annot. 74. Sorio ser. 5. de Con-
cept. omnes passiones Mariæ fuisse propassiones nullumque eius affectum sensitium rationem præuenisse.

15 Liber Canticorum quoad plures clausulas a Petro Damiano ad Blancam, Legionensi in Cantica, & innu-
meris apud Ghislerium, Delrium, & alios declaratur de pulchritudine, & lineamentis corporeis Mariæ, &
Iesu. Tunc maxime in singulis expositionibus in hoc tenore explicandi præferri debent interpretes, cum con-
sentiant, ijs quæ Epiphanius, Anselmus, Nicephorus, Cedrenus, sancta Brigitta, & alij de Mariæ, & Iesu vul-
tu scripsere, & ijs imaginibus, quæ Lucas, Nicodemo, & alijs viris Apostolicis tribuuntur.

16 Iurisdicctio, & autoritas Pontificum, & Episcoporum nunc viuentium quoad regimen æqualis est cum
iurisdicctione primorum Pontificum, & Episcoporum post Apostolos, sic & autoritas Doctorum præsen-
tium cum directione eorundem pro examinandis, & docendis veritatibus Ecclesie necessarijs, necdum cer-
ta fide exploratis, non est impar illi quam primi Doctores habuerunt, etsi merito, & sanctitate inferiores sint,
vt aiunt Cant. 8. de locis cap. 4. Abulens. Marth. 24. quæst. 270. & plures alij. ¶ Orationes Ecclesie esse sa-
cramentalia, quædam dicit Caietanus, Ledesma, Lopez, Corduba, Medina citati a Sanctio lib. 7. consilior.
cap. 2. dub. 10. vt mirum non sit nomen Iesu, & Mariæ, & clausulas quædam scripturarum esse sacramenta-
lia quædam. Similem efficaciam ex opere operato tribuunt clausulis scriptis, & prolatis sacri textus Chrys.
conc. 3. de Lazaro, & hom. 31. & 36. in Ioan. Orig. hom. 20. in Iosue. Hier. epif. 34. ad Iulian. Iustin. orat. 2.
ad Græcos. Ambros. 4. in Luc. & alij.

*19. pro tractatu de passionibus de parva in libro tercio elucidari
20. pro tractatu de pulchritudine virginis libri tercij elucidari
quod dicitur de orationibus ecclesie et pro declaranda
hæc hæc*





Propositiones

10

10



55



CAJA
2-8